



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm Capitum secundæ

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

De Tertia Qvæstione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36308**

fra colunt me mandatis hominum. Ideo falsa & impia est imaginatio Episcoporum, & similium qui tribuunt Episcopis aut alijs potestatem constituendi novos cultus.

Est autem debita obedientia in illis quæ proprie ad ministerium pertinent, sancita in hoc dicto, Luce 10. Qui uos audit me audit, Qui uos spernit, me spernit. In his dictis deducit nos Dominus ad ipsam Euangelij uocem, se uult audiri in predicatione ministrorum, Nec constituit hæc sententia regnum aliquod extra ministerium, Sicut Episcopi postulant obedientiam traditionibus præstari, quæ sunt extra uocem Euangelij. Præterea nec habent ministri Euangelij potestatem gladio aut ui corporali coercendi. De qua re alias sepe dicitur.

## DE TERTIA

### QVÆSTIONE.

**M**anifestum est oriri controuersias etiam in uera Ecclesia, ut Acto: 15. apparet, ideo de iudicijs queritur, Qui sint iudices, & quæ sit norma iuxta quam iudicari oportet, Et quæ sit autoritas iudicum, & quomodo necesse sit obtinere iudicatum.

Hic primum considerentur iudicia politica,

H 2 ibi

I. EPISTOLA AD

ibi iudex est ipse rex aut prator cum maiore parte consilij. Norma est in quolibet regno propriae leges, quibus obtemperare & iudicem, & litigantes necesse est. Auctoritas iudicum talis est, ut cum in Lege est ambiguitas, possint addere certam declarationem, & hæc additio postea habet uim Legis propter gradum Magistratus, & debetur ei obedientia, etiamsi alicui litiganti secus uideatur.

Ita dicitur iudicatum ualere auctoritate regis uel pratoria, quia Deus armavit Magistratum politicum hac potestate, & negocia sunt subiecta rationi. Potest sapiens magistratus probabilem rationem uidere, cur ita pronuntiandum sit. Debetur autem ei obedientia propter gradum, ut sit pax & finis litium, & cum non obediunt cogentur demnati iustum est eos cogere. Talem esse ordinem & auctoritatem iudiciorum politicorum sciamus.

Postea consideretur quatenus congruat hæc imago ad iudicia Ecclesie, quæ aliquo modo dissimilia sunt iudicijs politicis.

Primum recte hoc dici potest, Ministros Ecclesie angelij debere præesse iudicijs, & habere mandatum conuocandi Ecclesiam ad cognitionem, ut in actis cap. 15. Apostoli præsunt cognitioni & adhibent alios ex cœtu seniorum. Norma uero

est Verbum Dei, & Symbola, quæ certè sunt bre-  
ues articuli sumpti tantum ex uerbo Dei, iuxta  
hanc normam nunc quidem post Apostolos iudi-  
care necesse est, iuxta hoc dictum Galat: 1. cap.  
Si quis aliud Euangelium docet anathema sit.

Sed quid si sit ambiguitas? Hic primùm re-  
spondeo, Non est ambiguitas in fundamento, id  
est, in partibus doctrinæ necessarijs, in libris Pro-  
pheticis, Apostolicis & Symbolis, dextrè consi-  
deratis sententijs sine Sophistica, & collato inte-  
gro doctrinæ corpore, Vt, etiamsi Samosatenus  
contendit esse ambiguitatem in dicto, In princi-  
pio erat Verbum, Tamen circumstantia textus  
eum conuincit, quæ ostendit, Verbum ibi intelligi  
oportere personam, quia textus inquit, Omnia  
per ipsum facta sunt. Item, Et Verbum caro fa-  
ctum est. Item Ioan: 8. antequam Abraham na-  
tus est, ego sum, Et Abraham uidit diem meum.

Præterea etiamsi quis Sophisticè contendit  
esse ambiguitatem, ut Anabaptistæ de infantum  
Baptismo uociferantur, Tamen cum semper sit  
uera Ecclesia, semper in aliquibus seu multis seu  
paucis manet uera lux. Hi in iudicando pronun-  
tiant, ostendunt suam confessionem, Narrant  
quid intelligant, & sunt certi ex ipso sermone  
Prophético & Apostolico, & testimonijs Spiritus  
sancti

H 3

I. EPISTOLA AD

Sancti in ipsis, iuxta illud Ephes: 1. Obsignati estis Spiritu sancto.

Et sententia horum seu multorum seu paucorum confessio est, Ac possunt hi adiuuari consentiente confessione sanctorum, qui antea fuerunt, Sicut nos de tribus personis adiuuamur à Gregorio Neocesariensi, ab Irenæo, à confessione Nicenæ Synodi, item de Baptismo infantum adiuuamur sinceris testimonijs antiquæ Ecclesiæ, Sicut scriptum est Luca 22. Et tu conuersus confirma fratres tuos.

Iam qui agnoscit se conuinci uerbo Dei, obtemperat iudicato propter uerbum Dei, nō propter gradum iudicum, & quanquam commouetur auditor iudicum uoce, tamen fides nititur testimonio diuino, Ut in hoc dicto, In principio erat Verbum. Multi autem quia non uolunt conuinci uerbo Dei, postea quoq; contradicunt, sicut Ariani postea quoq; Nicenæ Synodo contradicebant. Nec ualet declaratio propter iudicum gradum aut numerum, Sicut in iudicio politico.

Sed dicat hic aliquis, Nunquam igitur finis erit dissensionum in Ecclesia? Respondeo. Non est finis ut in imperijs, Sed tandem Deus tollit blasphemias, sicut deleuit Synagogam Iudicam, Manichæos, Arianos & alios. Etiam post Apostolorum decretum de Lege, tamen manserunt

multi qui circumcisionem & alias Ceremonias  
Mosaicas retinerunt.

*Alia dissimilitudo.*

In iudicijs politicis utraq; pars obligari potest ante sententiam, ut promittat se obtemperaturam esse iudicato. Sed in iudicijs doctrine in Ecclesia homines pij nequaquam se obligent ante sententiam, Quia homines errare possunt, & sepe maior pars in Synodis est fascinata malis opinionibus, ut in Synodo Syrmienti quanquam speciosa erat, & magni uiri ex Graeca & Latina Ecclesia conuenerant, Tamen insigne erratum accidit, sustulerunt ex Symbolo uocabulum  $\delta\mu\omega\sigma\iota\sigma$ , & pro eo inseri uoluerunt,  $\delta\mu\omega\iota\omega\sigma$ , id est, similis, ut hic Cothurnus tolleret dissensionem, sed quia ambiguitas obscurabat ueritatem & confirmabat Arianos, post Synodum Ecclesiae recte sentientes hanc corruptelam admittere noluerunt.

Non est enim alligata ueritas ad maiorem numerum, nec ad Romanum Episcopum, aut ad Titulum Episcoporum, Quia scriptum est Rom: 2. Deus personam hominis non accipit. Et Ioan: 1. scriptum est, ueram Ecclesiam non esse coetum propagatione naturali ortum, aut humanis colle-